



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1541. usque ad annum 1546

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1770**

**VD18 90118510**

§. 69. Prospera Merindolanorum fuga; & Minerii crudelitas.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66615](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66615)

Sæc. XVI.  
A.C. 1545.

§. LXIX.

Prospera Merindolanorum fuga; &  
Minerii crudelitas.

*Sleid. p. 535.* Porro Gallorum exercitus prima tentoria figebat in S. Falesii oppido, cujus incolæ pariter fuga salutis suæ consulere parabant, eoquod eisdem nuntiatum esset, quod Cavallonensis Episcopus, ac Vice-Legatus suis militibus in mandatis dedissent, ut nemini vitæ gratiam concederent. Altera tamen die nonnulli sub sylvarum densitate tuti militum furori sese subdixerunt: postquam vero longas atque asperas vias erant eluctati, tandem ad locum pervenerunt, ubi suorum quam plurimos, qui jam antea aufugerant, reppererunt, nec tamen longam ibi moram trahebant, accepto nuntio, quod Minerius jamjam propius accederet, quapropter eodem ferme momento inde profecti, suas uxores ac liberos ibi reliquerunt, spe concepta, quod horum imbecillitas facile militum ferociam flecteret. Verum eodem tempore percipiebantur gemitus atque ejulatus, quos dissona vocum confusione multiplicatos montium cavernæ horrendo fragore replicabant. Tandem hi miseri totam noctem currentes superato monte Leberone multos vicos ac prædia ardere conspexerunt.



xerunt, unde Mussium oppidum petere <sup>Sæcul. XVI.</sup>  
 coacti sunt; verum Minerius exercitu <sup>A.C. 1545</sup>  
 suo in duo agmina diviso alterum ad in-  
 sequendos hosce fugitivos emisit, alte-  
 rum vero ipse Merindolum duxit, ubi  
 tamen non nisi unicum adolescentem  
 nomine Mauritium le Blanc reperit, in  
 quem tamen omnem suam rabiem effu-  
 dit, eumque ad oleam alligari, explosis-  
 que sclopetis trucidari, tandemque op-  
 pidum solo æquari atque comburi jussit.  
 Demum promiscue omnes, qui vicina  
 loca incolebant, nullo discrimine facto  
 occisi fuerunt, atque in diversis locis  
 plus quam tria hominum millia furen-  
 tium gladiis occubuerunt, reliqui vero  
 fame perierunt, exceptis paucis qui-  
 busdam, quorum aliqui ad Helvetios,  
 alij vero ad Genevenses confugere.

## §. LXX.

*Sæva Cabriensium cædes.*

**M**erindolanis ita extinctis Præfectus *Sleid. & de*  
 Cabriam petiit, ubi non nisi se- *Trou l. c.*  
 xaginta Viri cum triginta fœminis re-  
 manserunt, qui primo quidem oppidi  
 portas clausurunt, cum autem belli tor-  
 menta admoveri cernerent, petita vitæ  
 venia deditioem fecerunt, quam qui-  
 dem hujus oppidi Toparcha, nec non  
 Baro de Gardia illis polliciti sunt, eos  
 tamen captos postea occidi jusserunt;  
 idem